

CICERONE, *DISPUTAZIONI TUSCULANE*, V 114-118

Democritus, luminibus amissis, alba scilicet discernere et atra non poterat, at vero bona mala, aequa iniqua, honesta turpia, utilia inutilia, magna parva poterat, et sine varietate colorum licebat vivere beate, sine notione rerum non licebat. Atque hic vir impediri etiam animi aciem aspectu oculorum arbitrabatur, et cum alii saepe, quod ante pedes esset, non viderent, ille in infinitatem omnem peregrinabatur ut nulla in extremitate consistenteret. Traditum est etiam Homerum caecum fuisse; at eius picturam, non poesin videmus: quae regio, quae ora, qui locus Graeciae, quae species formaque pugnae, quae acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum non ita expictus est ut, quae ipse non viderit, nos ut videremus, effecerit? In surditate vero quidnam est mali? Erat surdaster M. Crassus, sed aliud molestius, quod male audiebat, etiamsi, ut mihi videbatur, iniuria. Nostri Graece fere nesciunt nec Graeci Latine. Ergo hi in illorum et illi in horum sermone surdi, omnesque item nos in iis linguis quas non intellegimus, quae sunt innumerabiles, surdi profecto sumus. "At vocem citharoedi non audiunt". Ne stridorem quidem serrae, tum cum acuitur, aut grunditum, cum iugulatur, suis nec, cum quiescere volunt, fremitum murmurantis maris; et si cantus eos forte delectant, primum cogitare debent, ante quam hi sint inventi, multos beate vixisse sapientes, deinde multo maiore percipi posse legendis his quam audiendis voluptatem. Congerantur in unum omnia, ut idem oculis et auribus captus sit, prematur etiam doloribus acerrumis corporis. Qui primum per se ipsi plerumque conficiunt hominem; sin forte longinquitate producti vehementius tamen torquent quam ut causa sit cur ferantur, quid est tandem, dii boni, quod laboremus? Portus enim praesto est, quoniam mors ubi est ibidem est aeternum nihil sentiendi receptaculum. Paulus Persi deprecanti ne in triumpho duceretur, "In tua", inquit, "id certe potestate est". Mihi quidem in vita servanda videtur illa lex, quae in Graecorum conviviis obtinetur: "Aut bibat", inquit, "aut abeat". Et recte. Aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi aut, ne sobrius in violentiam vinolentorum incidat, ante discedat. Sic iniurias fortunae, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas.

1. Ricostruisci schematicamente il ragionamento di Cicerone
2. Che cosa vuole dimostrare, alla fin fine, l'oratore? In che modo ci riesce?
3. Qual è, a tuo giudizio, il peso degli *exempla* proposti?
4. Il complesso del brano si struttura come una *climax*. Perché?
5. Nel suo ragionamento, Cicerone sfrutta più volte la figura retorica dell'antitesi. Ne individui qualcuna?
6. Nella struttura argomentativa si susseguono parti di grande ampiezza retorica e parti di concisione tipicamente diatribica. Sapresti distinguere le une dalle altre?